

## SCENA V.

VALERIUS, PUBLIUS, REGULUS, BODOSTOR.

VA. Tu quo vis ire? — PU. Ad eum. — VA. Recede. — PU. Ibo, etsi  
[ante eius pedis] Moriendum erit mihi. Veniam me ab illo oportet petere.  
VA. Facis nunc istuc, quom tibi succenset? — PU. Mitte me,  
Nam pol secus animus a te meus alienabitur.  
Eheu pater, me respice atque ignosce sis mihi!  
RE. Non, quia sum servos. Utinam nunc liber forem,  
Iam, per deos omnis, patria potestate uterer,  
Et ut Brutus, viderem constans atque interritus,  
Ut caput tibi datruncaretur. Quom nutrix tua  
Mi te ad pedis posuissest, valde laetanti mihi  
Manarunt ex ocellis lacrumae. Ast ego experrectus sum  
Dormitator; restabat laetum unum momentum temporis,  
Verumtamen hoc perdidit meus gnatus male.  
Voces meae penetrant patrum animos, gnatus modo  
Preces sui patris senis senilis neglegit  
Et inter magnos impudentem semet exhibit;  
Non sentit, ut cum laude cadere sit multo felicius,  
Quam vivere indigne. Mollis puer, noli tuo patre  
Audere gloriari. Hoc ob factum Romana civitas  
Te exsecrabitur. Non agnosco meum te filium.  
Contemno te atque exsecror. Eamus hinc, Bodostor nuntius,  
Eius conspectum ferre non queo. — PU. Is me exsecratus est.  
VA. At immerito. Deus has diras avertet a tuo capite.  
Eamus hinc, amice. — BO. Ah, quales isti homines!

*Explicit Actus II.*

## ACTUS III

## SCENA I.

BODOSTOR, MICHO, REGULUS.


BO. Quidnam senex meditatur? Istuc, credo, qui perficiat,  
Ne mortem ecfugiat. Qui mirum ego adeam istunc hominem?  
Modo placide. Micho, iam Publius accepit litteras?  
MI. Etiam. — BO. Quo se gessit modo? — MI. Perterrefactus est.  
Legit, tremit, omisit, tum legit ter et quater,  
Diu mutus tacuit, inter legendum quasi torpuit.

*(Ad proximum numerum).*

# ALMA ROMA

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE

TENET

*Pauca exemplaria supersunt*

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

**COMMUNIA VITAE**

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

**Editio altera locupletior.**

**Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exterias nationes, pro transmissionis expensis.**

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

**FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM**

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 550 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1100, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIV

Romae, Mense Martio MCMXXXVII

Fasc. III

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano.

VICTORIO EMMANUELI  
E SABAUDICA GENTE PRINCIPI NUPER NATO

Gaudemus omnes: Natus heres Principi!  
Os pandit ardens primitus,  
ut italam auram nunc novatae Fascibus  
capiet Sabaudae Patriae!  
Sic italo astrum fulgurat Sabaudiae  
in caelo, et omnem lumine  
flagranti amore iam replet Paeninsulam.  
Haec stella, vividus, recens  
ut flos, odores millium emanat polo  
sertorum, et omnium quidem  
florum, manus quos feminarum candidae  
fixere per clathros pie  
ruri in sacello, sive in alba Virginis  
ara locavere oppidi,  
ad expetendam prosperam esse Principem  
Matrem Mariam a Virgine.  
Et sicut astrum splendido in Palatio  
faustum refulget Italis  
Belgisque ridet gentibus coram mari  
Neapolis pulcherrimo.  
Vesevus ardet atque laetus murmurat  
et caelum et urbem illuminans,  
sinusque lymphas quae susurrant undique;  
marisque rident litora,  
dum Angelorum caelico in regno cohors  
Divos Sabaudiae et Duces

canit Parentes, resque eorum praedicat  
gestas et acta Patriae;  
ut a Soperga sic ab Altacomba Avos  
arcessit ad cunabula:  
Et ecce in armis ille Quintus haud mora  
Princeps Amadeus ruit,  
belli atque pacis usque clarus artibus,  
et cum eo hastiludii  
venit peritus ille tectus pallio  
virenti Amadeus Comes  
et ex adepta caeruleae ripae ad Varum  
Nicaea Amadeus Ruber;  
sic arma quassans gloriaque Ferreus  
quidem Philibertus venit,  
dum Carolus Rex martyr Albertus suas  
rosarum in aureo throno  
vehit Beatas et silens ex ultima  
Hispania exul avolat.  
Adsunt superbi Patriae Victorius  
et plebis Umbertus Pater.  
Rex Italorum Victor eoae Africæ  
nunc primus Augustus venit.  
Rident Parentes et prope exsultant boni  
cum parvula Maria Avi.  
Curvantur autem iam patroni Caelites  
Infantis ad cunabula

*lucem ad ferendam cum calore siderum  
his algidis in noctibus.*

*Aequor rubescit: semper Itali anxia  
flectunt parati tempora  
piasque fundunt Virgini Matri preces,  
dum Patriae et Sabaudiae  
gemmae recenti Summus orat Pontifex:  
Est Italica victoria!*

*Multos ad annos Patriae Lictoriis  
defensus a Securibus  
ardentibusque sicut ignis cordibus,  
future Caesar, vivito!*

Ex R. Instituto Technico Nautico Sup. Barensi.

Dr. IGNATIUS ANDRETTA.

## DE ITALICO PRIVATI IURIS CODICE RENOVANDO

### In decretorium primi libri pro- spectum notulae.<sup>1</sup>

1. Mos fuit maiorum studia quotannis inaugurarri non modo auspicio sacroque litato, sed et brevi quadam praemissa paelacione, quasi ne extemplo sed sensim sine sensu e montibus, e maribus, e campis ad scholae ludos et magistri suaviter et discipuli revocarentur. Quem morem tamdiu intermissum gaudeo esse tandem nostro hoc amplissimo in athenaeo restitutum; nec profecto doleo quod huius explendi munieris hoc anno mihi, quamvis omnium minimo, quamvis reluctanti, factum sit et officium et honos; ea quidem lege, ut non ultra horae quadrantem vos morer.

<sup>1</sup> Oratio habita studiis ann. MCMXXXVII auspicandis in Pontificio Seminarii Romani athenaeo.

<sup>2</sup> Ministero di Grazia e Giustizia, Codice Civile. Libro primo. Progetto definitivo e relazione del Guardasigilli on. Solmi (Roma, Istituto poligrafico dello Stato. Libreria. 1936-A XIV).

Esto igitur vere brevis paelacio, piano humilique sermone; non enim oratorem ago sed magistrum, immo, dicam aperte, discipulum plane; hunc enim me semper sensi et professus sum tum inter magistros, quos veneratione, tum inter alumnos quos eo vehementiore proseguor amore.

2. Quid autem eloquar quo hinc non sit taedio, inde mihi non sit plane impervium, nec demum a nostri temporis adiunctis remotum? Non enim scholae, sed vitae discimus. Haec mecum quaerenti occurrit prospectus ultimus libri primi codicis civilis, quem dicunt, italici, nuper editus ab italico « Ministerio Gratiae et Iustitiae ». <sup>2</sup> Quae opportuna eisdem visa est mihi occasio, resque proculdubio digna nostro omnium studio.

Et primum haec res nostra omnium interest quotquot civili iuri operam damus, et planum est; siquidem non vetusta tantum quaerimus ut contempleremur, sed ea perscrutamur ut ad nostrae vitae hodiernae commoda ususque aptemus, atque ut futuris rebus prospiciamus; itaque non de obsoleto neque condito tantum iure solliciti sumus, sed et de condendo ubique gentium, quo rectius condatur.

Quo fit, ut eadem res eorum quoque vivide interesse beat qui student, sive magistri sive discipuli, iuri canonico; non quod civili iure beat canonicum, uti aiunt, suppleri, non quod illius studium « canonistae » mentem aperiat et quasi efformet, sed saltem quod novissimum ipsum, quo utimur, ius canonicum receptorum civile <sup>3</sup> quibusdam saltem de rebus, atque iusserit ut Ecclesia bona temporalia sibi adquirat etiam ex iure civili (can. 1499 § 1) et contractus omne genus, ideoque et obligations, quae inde fluant, regantur civili iure territorii ad quod spectent (can.

<sup>3</sup> De receptione deque remissione in genere atque in specie quod ad ius canonicum et ad iura civilia vigentia cf. ROMANI, De norma iuris, §§ 642 ss., pp. 579-611.

1529). Quo factum est ut hodie canonicum ipsum ius plane ignoret qui civile non didicerit; utque Ecclesiae ius non possit administrare eoque minus tueri qui ius civile praetererit: itaque non raro fit ut nostra ignorantia nostraque desidia gravissima quoque eademque sanctissima ecclesiistarum piarumve operarum iura pessum dentur.

Quod neminem latet quanta culpa sit etiam theologica et quam gravia pariat fidelibus quoque damnis. Sed Christifideles persaepe nos adeunt sacerdotes consulturi de moralibus suis certis obligationibus quibusdam, quae nonnisi e iure civili initium et statum proxime capiant, ut in commerciis, in industriis, in vectigalibus, in contractibus, in testamentis, in liberalitatibus aliisve actibus sive inter vivos sive mortis causa; eloquar? publici quoque magistratus, advocati, medici, militum duces, reipublicae rectores haud raro nos interrogant quid certis in concretis adiunctis plane urgentibus sit sibi agendum, ne peccent. Quibus satisfieri nullo modo posse, ignoratis iuribus civilibus, orbi quoque vident. His itaque iuribus non « civilista » modo, non « canonista » dumtaxat, sed moralis quoque theologiae studiosi operam navare sollerterem officio suo tenentur; navarunt autem praeclarum, suo quisque pro tempore, et Divus Thomas, et Suaresius, et Laymann, et Azorius, et Salmantenses, et S. Alphonsus, et Cardinalis D'Annibale, et Vermeersch, quem nuper flemus nostris studiis eruptum ad gaudia, eisdem oramus, speramus, et praemia caeli.

Et quia sacerdos quilibet suo ipso ex ordine, suo charactere, sua demum vocatione et missione « lux est mundi et sal terrae », hanc lucem, hoc sal potentibus recusare non potest causatus se divina, non humana callere; siquidem Christus Dominus quem exaltatus fuisse omnia traxit ad seipsum, et omnia nos ad ipsum trahere nullo non nisi debemus conari.

Haec monenda censui, quum me non lateat esse quosdam qui iura fere fastidire videantur, quin etiam iacentur. Non quod mihi theologia moralis idem sit ac ius, sed quia vita hominum socialis, idest iuridica, ut divino respondeat, uti debet, fini necesse est (atque hodie necessitas urget undequaque) collustretur, foveatur, dirigatur principiis theologiae moralis; haec ideo theologia praeterire non potest, ni suo deesse munere velit, quae officia ex iure utroque nascantur.<sup>4</sup>

3. Atque nemo ignorat haud paucas in novos saeculi XVIII et XIX codices leges irrepsisse, quae christianos offenderent mores, ut vere gratulandum sit quod eis emendandis hic illic opera navari coepit iam sit post bellum immane, quo flagrante catholici ubique gentium, et praesertim in Italia, optime de patria meruerunt, suoque olocausto vias novas aperuerunt civitati, ut tandem ad Ecclesiam matrem rediret: rediit publice et sollemniter, factoque iure Italia anno 1929, februarii die illa decimaprima, quam nemo non adscripsit inter fastos, quam ut eo magis luceat nemo nostrum orare operarie non debet.

4. Itaque emendando codici civili italicico, qui inter aetus citissime adparatus atque editus fuerat anno 1865, magis gallicis praeiudiciis adhaerens quam termillenariae traditioni italicae, cito consuli coepit est (iam ab anno 1877), legibus ad rem datis, quae tamen adeo sequentibus annis multiplicatae numero sunt, ut anno 1906 coetus sit excitatus emendationibus organice preparandis: quarum quaedam in codicem insertae iam sunt, ut lex de civitate, rogante Scialoia, iussa et promulgata die 13 iunii anno 1912.

<sup>4</sup> Quantopere theologia moralis iuvenit utrumque ius et utroque, civilibus quoque vigentibus, ipsa iuvenitur, omnes fere paginae ostendunt voluminis *De norma iuris*, quod iam innui, eoque luculentius forte, Deo favente, ostendam in *Theologia moralis*, quae iamdiu sub paelo gemit, angustiis obstricta rerum.

5. Tandem die 30 mens. decemboris 1923 data delegationis lege<sup>5</sup> constituta est *Commissione Regia* codicibus renovandis iuris privati, tum communis (quod inconcinnus appellant ius civile), tum « civilis procedurae », quam dicunt, tum commercialis et maritimi. Regalis haec Commissio novis legibus scribundis, moderante iam peritisimo illo eodemque actuosissimo viro, Antonium dico Scialoia, brevi adparavit prospectum codicis commercii, maritimi et procedurae civilis, qui tamen publici iuris nondum facti sunt; interea ceteris quoque adparandis insomnem dedit operam, et primi iuri de obligationibus, quae pars concorditer una simul cum gallica commissione apparata iam anno 1928,<sup>6</sup> articulis 139 contraxit et renovavit ius de contractibus deque praescriptionibus:<sup>7</sup> prima eiusdem libri tertii<sup>8</sup> quae est de successionibus deque donationibus, reservata fuit proprio seiuncto libro; pars vero quae de patrimoniali contractu matrimonii erat,<sup>9</sup> ad primum librum fuit amandata incorporanda in ius de familia. Mox, die 27 mens. septembbris 1931 Scialoia, praeses « Commissionis », absolutum prospectum primi libri exhibuit Alaphrido Rocco, Ministro Gratiae et Iustitiae;<sup>10</sup> quem novus iustitiae administer, Arrigus Solmi, expolitum nuper, mense iunio currentis anni 1936, publici iuris fecit. Paullo ante, die 23 martii 1936, Marianus D'Amelio, eiusdem Commissionis Praeses plane peritus, catus, elegans, praeliminarem prospectum libri tertii

<sup>5</sup> De eiusdem legibus deque iis quae ad legem accedant ex iuribus civilibus atque ex iure canonico vigentibus cf. *De norma iuris*, §§ 103 ss., pp. 126-167, ubi etiam de potestate legifera « corporationum » quae dicuntur.

<sup>6</sup> Edita est Romae, « Libreria dello Stato », 1928.

<sup>7</sup> Cit. lib. III, tit. IV-XXI, aa. 1097-1931 et tit. XXVIII, aa. 2105-2147.

<sup>8</sup> Tit. II-III, an. 720-1096.

<sup>9</sup> Lib. III, tit. V, aa. 1378-1446.

<sup>10</sup> Uterque desideratus est; de Rocco vide in *Rassegna di Morale e Diritto*, anno 1936, pp. 391 ss.; illi successit D'Amelio, huic vero Solmi.

de successionibus deque donationibus exhibens eidem administro, nos docebat adparatum iam esse, maximam saltem partem, etiam librum secundum de rebus, de rerum dominio deque possessione, de transcriptionibus, de hypothecis deque privilegiis, ita ut anno 1940, uti Italorum Rex atque Imperator promiserat, prodituri certo sint renovatae Italiae codices iuris privati, qui una cum codice iuris et procedurae criminalis exemplo ceteris quoque populis erunt atque incitamento.

Codex autem iuris privatis communis, quem civilem dicunt, quattuor forte libris cavebit de personis, de rebus, de successionibus et donationibus, tandem de obligationibus. Iam patet non de emendando codice agi sed plane de renovando.

(*Ad proximum numerum*).

SILVIUS ROMANI.

## DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS<sup>1</sup>

### XII

#### *De comparativo absolute usurpato.*

Comparativus eleganter absolute, i. e. sine casu, usurpatur loco positivi et adverbiorum « satis, multum » aut « nimium ».

EXEMPLA: Palaestrici motus sunt saepe *odiosiores* (CIC.) — Tua interest non imponi cervicibus tuis onus *gravius* (CIC.) — Nares *contractiores* habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit pervadere (CIC.) — Pausanias *elatius* se gerere coepit, et *maiores* appetere res (CORN. NEP.) — Si mea *longior* fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur: ita fortasse etiam *brevior* videbitur (CIC.) — C. Servilius *liberius* locutus erat de Verris improbitate ac nequitia (CIC.) — Caesaris erat

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

in barbaris nomen *obscarius* (CAES.) — Medici *graviores* morbos asperis remediis curant (Q. C.) — Vespasianus pecuniae *avidior* fuit (EUTR.) — Magno aestimamus mori *tardius* (SEN.) — Romanae leges *grandiorem* aetatem ad consulatum constituebant (CIC.) — Ut corpore, ita animo erat *immobilior* (VELL. PAT.) — Lacrima *citius* arescit, praesertim in alienis malis (CIC.) — *Iactantior* videris (PLIN.) — Cyri et Agesilai, summo in imperio, nemo unquam verbum ullum *asperius* audivit (CIC.) — Themistocles, quem in epulis recusaret lyram, est habitus *indoctior* (CIC.).

### XIII

#### *Relativi cum praeeunte propositione connexio.*

Relativum cum praeeunte propositione non raro connectit duas aut etiam plures propositiones diversi munieris.

EXEMPLA: Laudabo sapientem illum, cuius quum patriam cepisset hostis, ait: « Ego vero omnia mea tecum porto » (CIC., *Parad.*, 1) — Suscepisti onus grave et Athenarum et Cratippi, ad quos quum tamquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus inanem redire turpissimum est, dedecorantem et urbis auctoritatem et magistri (CIC., *Off.*, III, 2) — Nolo Caesarem existimare ea me suasisse Pompeio, quibus ille si paruisse, Caesar non tantas opes haberet (CIC.) — Noli adversum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam *reliqui* (CORN. NEP.) — Illa tamquam cycnea fuit L. Crassi vox et oratio, quam quasi exspectantes post eius interitum *veniebamus* in curiam (CIC.) — Nullas consequuntur voluptates, quarum potiundi spe inflammati multos labores suscepserant (CIC.) — Quid enim est minus hominis quam id obiicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit qui obiecerit (CIC., *Phil.*, II, 4) — Hic mihi etiam audebit mentionem fa-

cere Mamertinae legationis, in qua quam multa sint vulnera quis est vestrum quin intelligat? (CIC., *Verr.*, V, 22, 57) — Gratalor tibi quum tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium valerem, iam salvi esse possemus (CIC., *Fam.*, VIII, 14).

### XIV

#### *Demonstrativum tacitum.*

Demonstrativum fere abiicitur, si sit in nominativo aut accusativo, dummodo relativum sit eiusdem casus. Quum ambo sunt aliis casus, demonstrativum retinetur, si facile subauditum intelligitur.

EXEMPLA: Imitamur *quos* cuique visum est (CIC., *Off.*, 1, 32, 118) — Quoties felicitatis causa et initium fuit, *quod* calamitas vocabatur! (SEN.) — Gaudet quisquis provocatur ad doctrinam suam in medium proferendam, quia nemo vult latere *quod* dicit (MACR.) — Nefas est dictu *quod* est dishonestum factu (CIC.) — Adeptus es *quod* non multi homines novi (CIC.) — Turpis est *qui* alto sole semisomnis iacet (SEN.) — Invenire se posse *quod* cuperent diffisi sunt (CIC.) — Arvum dicitur *quod* aratum, necdum satum est (VARR.) — Qui stadium currit, eniti et contendere debet ut vincat (CIC.) — Cave amicum credas nisi *quem* probaveris (P. S.) — Deliberandum est diu *quod* statuendum est semel (P. S.) — Dumnorigi custodes ponit ut *quae* agat scire possit (CAES.) — Bis interimitur *qui* suis armis perit (P. S.) — *Quod* huic debes, ego a te peto (CIC.) — Miserrimus est *qui*, quum esse cupit, *quod* edat non habet (PLAUT.) — Poenitet accepti beneficii, *quem* nondum redditum piget (SEN.) — *Quem* neque gloria neque pericula excitant, frustra hortere (SALL.) — *Quibus* agrestis vita est, fraus ignota est (SEN.) — Ira non est minus perniciosa leges metuentibus quam *quibus* iura distinguunt modus virium (SEN.) — Facile adver-

sam fortunam sustinet, qui semper eam exspectat (SEN.) — Non metuit mortem qui scit contemnere vitam (P. S.) — Stultum facit fortuna quem vult perdere (P. S.) — Non minorem utilitatem adferunt qui togati reipublicae praesunt, quam qui bellum gerunt (CIC.) — Fremant omnes licet, dicam quod sentio (CIC.) — Qui aere alieno premuntur plures sunt quam putaram (CIC.) — Beneficiorum maxima sunt quae a parentibus accepimus (SEN.) — Nemo fideliter diligit quem fastidit (Q. C.) — Qui mentiri solet peierare consuevit (CIC.) — Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci (HOR.) — Qui eamdem culpam saepe committit est indignus venia (CIC.).

## XV

**De verbis «debeo, oportet, etc.» in indicativo potius quam in coniunctivo expressis.**

Ad exprimendum actionem esse aut fuisse necessariam, optabilem, etc., verba *debeo, possum, oportet*, etc., usurpantur in indicativo.

EXEMPLA: Si uno genere bene dicetur, *fas erat* existimari paeclusam nobis a prioribus viam (QUINT.) — *Debuisti*, Vatini, etiamsi falso venisses in suspicionem P. Sestio, tamen mihi ignoscere (CIC.) — Ergo si viri arma illa habuissent, quae in portis fuere nostris, capi Roma, me consule, *potuit* (TIT. LIV.) — Catilinam omnino vivum e senatu exire non *oportuerat* (CIC.) — *Omnia matura sunt: victoria, praeda, laus; quae si dubia aut procul essent, tamen omnes bonos reipublicae subvenire decebat* (SALL.) — Sic iam tecum loquar non ut odio permotus esse videar, quo *debeo*, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur (CIC.) — Quid *erat futurum*, si nemo plus effecisset eo quem sequebatur? (QUINT.) — Si Romae Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is *erat diligendus*

(CIC.) — Sunt alii multi diserti, quos persequi *longum est* (QUINT.) — Plato philosophos ne ad rem publicam quidem accessuros putat nisi coactos; *aequius autem erat* id voluntate fieri (CIC.) — Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iampridem *oportebat* (CIC.) — Haec condito non *acciendi* fuit potius quam relinquenda patria (CIC.) — Omnibus eum contumeliis onerasti, quem patris loco, si ulla in te pietas esset, *debebas* (CIC.) — Quis L. Philippum a M. Herennio superari posse *arbitratus est?* (CIC.) — Sententias veterum philosophorum de natura Dei *longum ac difficile est* dinumerare (CIC.) — Longe *utilius fuit* angustias aditus occupare (Q. C.) — Titus Livius in contionibus supra quam enarrari *poteſt* est eloquens (QUINT.) — Aut non *suscipienda fuit* ista causa, aut defendenda usque ad extremum (CIC.).

## XVI

**Praepositiones in adverbia conversae.**

Vere facta sunt adverbia, aut potius adverbiorum more construi possunt quaedam praepositiones.

EXEMPLA: Eorum ego vitam mortemque *iuxta aestumo*, quoniam de utraque siletur (SALL., Cat.) — Magno numero iumentorum in flumine *supra atque infra* constituto, traducit exercitum (CAES.) — Nemo *adversus* ibat (T. L.) — Animus suus cuique *ante aut post* pugnandi ordinem dabat (T. L.) — Commodius fecissent tribuni plebis, si ea quae apud vos de me deferunt, ea *coram* potius me praesente dixissent (CIC.) — Atheniensibus exhaustis praeter arma et naves nihil erat *super* (CORN. NEP.) — Interea Rutuli portis *circum* omnibus instant (VERG.) — Summa erat vasto atque aperto mari, magnis aestibus, raris ac *prope* nullis portibus, difficultas navigandi (CIC.) — Poeni

biennio *ante* et duces Romanos et milites spreverant (T. L.) — Nocte *prope* tota, P. Sempronius non destitit monere milites (T. L.) — Moveri et *ante et pone*, et ad laevam et ad dextram, et sursum et deorsum, modo hoc modo illuc (CIC., Univ., 13, f) — Parvo post florent pirus et cerasus (PLIN., XVI, 25, 42) — Cornix *propter* volans (PHAEDR., II, 6) — Deinde *subter* mediam fere regionem sol obtinet (CIC., Somn. Scip., 4, med.) — Haec *super* e vallo prospectant Troes (VERG., Aen., IX, 168) — Et mare quod *supra* teneant, quodque alluit *infra* (VERG., Aen., VIII, 149) — Estne aliquid *ultra*, quo progredi crudelitas possit? (CIC., Verr., II, 5, 45, med.) — Caligo quam *circa* humidi effuderant montes (Q. C., IV, 12) — Paucis *citra* millibus lignatores ei occurserunt (T. L., X, 25) — Multa palam domum suam auferebat; plura *clam* de medio removebat (CIC., Rosc. Am., 8, f).

## XVII

**Coniunctiones omissae.**

Latini non raro coniunctionem omittunt.

EXEMPLA: Exeant! Proficiscantur! Ne patientur desiderio sui Catilinam miserum tabescere! (CIC.) — Catilina pertimuit, profugit (CIC.) — Eius adventu hostes constiterunt, nostri se ex timore receperunt (CAES.) — Sentit animus se vi sua, non aliena moveri (CIC.) — Delicto dolere, correctione gaudere oportet (CIC.) — Omnia amici officia mihi grata non essent, nisi eum perspicarem mea causa mihi amicum fuisse, non sua (CIC.) — Domus dominis aedificata est, non muribus (CIC.) — Mihi, velim nolim, est certa quaedam tuenda sententia (CIC.) — Iudicium hoc omnium mortalium est: fortunam a deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam (CIC.) — Interfectus est C. Gracchus, clarissimo patre, avo, maioribus (CIC.) — O spectaculum uni Crasso iucundum, ceteris

non item! (CIC.) — Scias ista nescias fient (SEN.) — Democritus luminibus amissis alba scilicet et atra discernere non poterat, at vero bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, utilia inutilia, parva magna poterat (CIC.) — Insidebat in Antonii mente species eloquentiae, quam cernebat animo, re ipsa non videbat (CIC.) — Habetis ducem memorem vestri, oblitum sui (CIC.) — Vulgus erat cupidum rerum, quieti et otio adversum (SALL.) — Arbores magnae diu crescunt, una hora extirpantur (Q. C.) — Gubernatoris ars, quia bene navigandi rationem habet, utilitate, non arte laudatur (CIC.) — Fortuna opes auferre, non animum potest (SEN.) — Hiemis enim, non avaritiae perfugium maiores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt (CIC., Leg. Man., XIII, 39) — Homo vitae commodatus est, non datus est (P. S.) — Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt (HOR.) — Moneo ut agentem te ratio ducat, non fortuna (T. L.) — Ab illo insignia victoriae, non victoriam reportarunt (CIC., Leg. Man., III, 8) — Latine me scitote, non accusatorie loqui (CIC., Sign., I, 2) — Pretio, non aequitate iura describebat (CIC., Suppl., XI, 28) — Atria regum hominibus plena sunt, amicis vacua (SEN.).

## XVIII

**De vocalibus ordine diverso inter se oppositis.**

Quum duo vel plura vocabula duobus vel pluribus altera alteris opponuntur, plenumque ordine diverso opponuntur.

EXEMPLA: Malim equidem *indisertam prudentiam* quam *stultitiam loquacem* (CIC., De Or., III, 35, 142) — Pro vita hominis nisi *hominis vita reddatur* (CAES., Bel. gal., VI, 16, 3) — Philosophiae studium mihi sumo et ad *vita constantiam* et ad *delectationem animi* (CIC., Acad., I, 2, 7) — Nulli te facias nimis sodalem: *gaudebis minus et minus dolebis* (MART.) —



*Calamitas querula est et superba felicitas* (Q. C.) — *Nulla acies ingenii tanta, quae penetrare in caelum, terram intrare possit* (CIC.) — *Male vivet quisquis nesciet mori bene* (P. S.) — *Seditio civium hostium est occasio* (P. S.) — *Mox rex vel princeps audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate* (TAC.) — *Philosophia medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores* (CIC.) — *Voluptas pulcherrimo vestitu et ornatu regali in solio sedebat* (CIC.) — *Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis* (TAC.) — *Mihi autem neque honestum silere, neque proloqui expeditum* (TAC.) — *Antonius Primus Vespasianum sequutus grande momentum addidit, strenuus manu, sermone promptus* (TAC.) — *Famam curant multi, pauci conscientiam* (P. S.) — *Fer difficilia, facilia levius feres* (P. S.) — *Honestam mortem vitae turpi praefero* (P. S.).

Sti. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

## NOSTRA RES

### Ad renovandum latinae linguae usum.

ANDREAE AVENARIO IOSEPHUS FORNARI sal.

Effatum Italicum nostrum est a risu bonum effici sanguinem: si igitur hoc e postrēmis meis litteris et tibi contigit, mihi gratulor quidem et gaudeo; at profecto non minus quod indidem indūctus tandem fuisti ut totum institutum, quod iam diu nos occupat, *cursum publicum* sis appellaturus. Atvero haud satis percipio qua de causa quibusque rationibus ab adiectivis quae sunt *postalis* et *postarius* minus facile dīvellaris: amandata enim primitiva voce *posta*, unde derivata haec adiectiva retinueris? Complectere igitur a *cursu* adiectiva

*cursorius* et *cursualis*, quae in latinitatis thesauro tibi praesto sunt, et in utramvis aurem placide dormias, pro certo habens si *cursoriam* aut *cursualem* *cartulam* requisiveris, ab omnibus vel summis labiis latinam linguam callentibus proculdubio iri intellectum; ac fortasse magis quam *transposita* illa tua in *trahas vecta* intelliguntur.

De licentia nova vocabula assumendi iam diu tenes quod sentiam: nova inducamus, quae necesse omnino sint, quum scilicet latinitatis, non quidem tempore aliquo circumscriptae, immo vero totius latinitatis, lexicon nobis succurrere non valeat; et ipsa iuxta Horatianum praeceptum, non ab una vel altera lingua deprompta, quae facile longe lateque ignoratur, sed ab uno fonte, quem culti omnes, ad quos spectares nostra, norunt; scilicet Graeco, a quo Latini sermonem, quem nos renovare, hoc est restituere, volumus ita hauserunt, ut, quemadmodum ipse tu adnotabas, vocabula peterent ne necessaria quidem, quum aut Latina non deessent, aut facile e Latinis possent derivare; petierunt hercle! praeassertim ob cognitionem structurae et syntaxeos, neque minus ob ductilem Graecae linguae naturam, quam ab aliis linguis frustra repetiveris. Quas ipse voces tu affers *essendum* et *braccas* (melius *bracas* scribes), vel aliunde illatae, Graecam habent originem: altera ab *αἴστω* = cum impetu feror;<sup>1</sup> altera a *βράκος* = fractus; itaque vestis bifariam divisa.<sup>2</sup> Praeterea si de

<sup>1</sup> FORCELLINIUS adnotat DE LA CERVA ad Verg. III Georgic., 204, ubi vox *essendum* recurrat, scribere: «apud Belgas nunc quoque *hissem* esse incitare ad cursum, et his *essendum* esse *hesschdum*, quo sermone etiamnunc Belgici utuntur».

<sup>2</sup> Frameae exemplum excludendum esse mihi videtur. Ut enim de *Phalarica* scribit Livius, ita de ea Tacitus (Germ., VI): «Hastas, vel ipsorum vocabulo *frameas*, gerunt, angusto et brevi ferro, sed acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnant». Atqui, quod sciām, in probatum usum pro *gladio* vocabulum non venit; quo fortasse nos uti nunc poterimus ad Italicum *baionetta* et quae apud alios populos consimilia vocabula sunt, latine exprimendum.

necessariis finibus hodiernis linguis constitutendis «periculum est, ne infinitae sint contentiones»; quod enim mihi adhuc tolerari posse videatur, id alteri nimium videatur audax, nonne iuverit a Graeco fonte hauriendo easdem contentiones dirimere, imo omnino prohibere quominus exoriantur? Ad maiores nostros, mediae quae dicuntur aetatis viros, provocas; at tibi e mente effugit, pessima fata tum latinitatem subiisse, eius studio prorsus posthabito; ideoque nihil aliud quam vulgare tunicati populi eloquium venisse in usum, immanem linguarum suorumque cuiusque sermonum congeriem. Atqui nos, nos illa ignorantiae tempora revocabimus, ut illa nunc resurgent satagemus? Ne dicamus de confusione quae a verbis perlate patentibus gigni potest, de qua vox *posta* satis superque, ut in superioribus meis litteris retuli, exemplo est, et per quam in errorem facile induci erimus de vi voci subiecta. Praesto quoque sint et illae voces a te allatae *tunna* et *fasca*, aut melius *phlasca*, quae locum *amphorae* et *lagenae* tibi visae sunt substituisse. At vero eorum altera, quam in latinis lexicis frusta requisiveris, fuitque in Gallorum, Germanorum Belgaramque propria lingua communis, (*tonne*), minime quidem *amphora* verbum supplantavit, sed propriam et singularem significationem pro loci consuetudine habuit; quemadmodum apertissime evincitur ex hoc exemplo, quod apud Ducangium legitur, ex tom. I *Historiae Francorum* depromptum: «Superexcavit quidem benedictio largitatis vestrae, adeo ut dum unam phalerni *amphoram* deponscimus, vos eminentia vasa, et, ut usitatus dicam, *tunnas* decem elegantissimi phalerni tanti habuistis dirigere».<sup>3</sup>

<sup>3</sup> Adde, ut melius tibi adsit verbi vis: «Simbi ferreis catenis vel compedibus victi missi fuerunt in *tonnam vinarium*» (HERIB., *De haereticis*). «Nunciatum est... quoddam vas mirae magnitudinis vini meri plenum esse inventum, quod vulgo *tonna* nuncupatur» (Chart. an. 803 apud LOBINELL, *Hist. Brit.*). Erat nempe quasi capacitatis mensura, ut apud Italos nos

*Phlascae* autem verbum haud quidem aetate media inventum est; siquidem apud Origenem (VI) invenitur, et explicat Isidorus: «*Phlascae* a Graeco vocabulo dictae. Hae pro vehendis ac recondendis phialis primum factae sunt, unde et nuncupatae; postea in usum vini transierunt; manente Graeco vocabulo, unde et sumpsierunt initium». Et haec igitur e Graeca fonte hausta fuit, nempe a *φιάλη ἀσκός*, iam apud Graecos vulgo in *φλάσκος* contractione facta, latine ad verbum sonans: «*phialae* (peculiare poculi genus) *sacculus coriaceus*»; et quidem apud Italos nos venatores praesertim huiusmodi poculi genus ad vinum vel alium liquorem asservandum, illudque a fractura tutandum utuntur, et *fiasca* appellant, quum vasa ex subtilli vitro quae paleis aut viminibus contingimus *fiasco* (masculini generis) dicimus.

Sed iam ad alteram epistolae tuae partem transeamus. *Dactylographium* tuum evidenter simul atque eleganter ante mentis meae oculos posuisti, quae tamen illud «minoris Eriæ genus» apprehendere non valuit. Neque pariter rationem effingere mihi potui qua vectis ab istarum machinarum artificibus nuncupatae extremam pulsantem partem *claviculam* dixeris: mihi potius *malleolus* videtur appellanda. Minus etiam probatur *folium colorium*: coloria enim res dicitur quae variis coloribus est picta;<sup>4</sup> dicam potius *colorans* vel *coloriferum* aut *transcripticum* (namque ad transcriptionem pertinet), eiusque autem latus quod colorem praesefert, non partem, sed faciem. Placet *coloratus lemniscus*; non vero *exempla transcuroria* vel *tracusiva*: sunt enim vere *transcusa*.

Atque demum pauca de pronunciatione

ex. gr. *barile*, *quartarolo*, quorum alterum est decima sexta pars cupae (quam cupam vulgari sermone *boile* nos appellamus), alterum quarta *barilis* pars; hoc est cupae sexagesima quarta.

<sup>4</sup> Ne in longum nimis protrahatur sermo, ad decreto exempla apud FORCELLIKI (sub hac voce) te delege.

vel accentu illorum nominum, quae a Graecis assumpta sunt et exeuunt in *ia*. Puto eos qui ad tertiam sillabam ictum inducere malunt a prosodica regula moveri, ea scilicet: *Vocalem breviant alia subeunte Latini*: itaque in hanc ictum cadere haud posse; eos, ex adverso, qui more Graecorum accidunt, hinc, quod ratio non sit cur vox Graeca integre relata sonum suum amittat. Ex quo fit ut in voce *eucharistia*, de qua singulariter me interrogas, si eam tamquam neutrum pluralis numeri consideraveris cum sensu — nescio equidem quam proprio — oblationum ad grates agendas, proparoxytona, ut apud Graecos, pronuncianda sit; si vero Augustissimi Corporis et Sanguinis D. N. I. C. sacramenti, cum Cypriano et Romanis nobis, paroxytona. Fortasse duae aliae regulae ad rem sunt revocandae: a) *Graeca per Ausoniae fines sine lege vagantur*, et b) *Usus te plura docebit*.

Fac valeas, meque mutuo diligas.

P. S. — Haec scripsoram, quum fasciculus I curr. anni commentarii a Monacensi Societate Latina editi, ad me pervenit, in quo *cursum publicum*, clientem meum, patroni illi *postae* in huius favorem late impetunt. Quamquam rei cardo et ex hodierna mea epistula alias esse facile apparet, quam qui ab adversariis meis vertitur, ad eorum locos in proximo ALMAE ROMAE numero, tempore et spatio concedentibus, libenter descendam. Tu interim, Avenari carissime, si forte ad sententiam tuam rursus mutandam inde pelliciaris, exspecta, quaeso, dum... Atticum conveniam.

*Tempore difficiles veniunt ad aratra iuvenci,  
Tempore lenta pati fraena docentur equi,  
Ferreus assiduo consumitur annulus usu,  
Interit assidua vomer aduncus humo.  
Quid magis est durius saxo, quid mollius unda?  
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.*  
OVIDIUS.

## DE AEDIUM ALTITUDINE APUD ANTIQUOS

Inter omnes constat, quas aedes Romae una eademque gens incolebat, « domus » nomine distingui; quae contra, ambitu maiore, in multas dividerentur domus, eas « insulas » appellari, viis undique circum amplexantibus: huiusmodi aedium qua aetate Urbis pomerium latissime patuit, quadraginta ad millia numeratae sunt, domuum autem fere bis mille.

Atqui Tarquinios usque ad reges notum est casas tantummodo Quirites habuisse contextas sarmentis: serius autem testaceis lateribus muri exstrui coeperunt. Pau latim immo additis desuper contignationibus, pauperum praesertim familiis cubicula parata sunt, ubi plebs misera conglobata pessime plerumque habitaret. Quum autem parum solidis passim fundamentis innitentur, inundante Tiberi saepe insulae coruebant.

Decies centena millia incolarum civitate dinumerante, vix bis centum millia domus incolebant, quum reliqui pauperes plerumque in insulas sese recepissent. Locationalium pretium tunc temporis a bis mille annuis sestertiis ad triginta millia augebatur: qui praererat insulae locandae « insularius » dicebatur.

Insulae hae aedium omnium altissimae erant, quod Seneca, Cicero atque Rutilius Lupus nonnunquam conquesti sunt; eaque immo habebatur altitudo, quae non solum constitutas hodie passim ad rem leges longe praetergressa sit, sed cum hodiernis aedibus, quas caelum scabere per iocum vulgo dicimus, contendere affirmaveris. Itaque ne nimis domus culmina excrescent, est Augusto imperante constitutum ne septuaginta pedum altitudinem aedium facies excederet, quae viae immineret.

Spo ponderat quidem Augustus Caesar, nimio quidem vocis hiatu, se marmoream

urbem relicturum, quam lateritiam accipisset; at Nero revera emendar urbis atque corrector exstitit, qui immisso heic vel illic igne, decem ex quatuordecim Urbis regionibus abolevit. Per fumantes rui nas mox novae viae deductae, novaque fora, atque vetitum ne privatorum domus altitudo duplicatam viarum latitudinem excederet. Item edictum ut porticus ubique surgerent, qui et a pluvia et a sole trans euntes tuerentur; ne lacunaria linea essent, ut denique unaquaeque domus ex omni parte libera exstrueretur. Traianus postmodum lege statuit, ne sexaginta pedum altitudinem tecta vincerent. Verum de atriis internis, deque posteriore aedium facie nil unquam cautum, quae certo certius longe maxime excreverunt semper. Martiale auctore discimus egeno cuidam sibi proximo ducentos gradus concendentos esse, ut ad suum cubiculum perveniret. Iuvenalis enarrat incendium ad tertiam iam contignationem elatum, supremos insulae incolas prorsus adhuc ignorasse. Non inde mirum Tertullianum caelestibus totidem regionibus domum contignationes aequasse; atque inscriptionem anno MDCCXIX repartam de quadam Sertorianae domo revelasse tabernas decem in solo continere, desuper autem contignationes superimpositas sex.

Etsi tamen leges de re innovarentur, quum de futuris tantum aedificiis formam lex iuberet, aedes passim manserunt plus quam centum pedes elatae, quae viis imminerent non amplius quam viginti pedum in latitudinem patentibus. Iure inde asserebat Plinius domum altitudine ceteras urbes Romam superare, atque Iuvenalis sublimem esse dicebat ex fenestris prospectum.

Ceterum aliae quoque antiquitatis urbes simili domum altitudine efferebantur: Paleopolitanae domus iuxta Philostratum ad quatuor vel quinque contignationes extol lebant tecta, Babylonica aedicia eadem

altitudine erecta Herodotus narrat, Appianus Carthaginensium domos memorat ad sextam usque contignationem sublimes, Diodorus Siculus Motyae urbis describit aedes octavam quoque attingentes, Zeno imperator, Leonis praedecessoris sui legem revocans, Tyri domus non ultra viginti pedes altitudine verticem efferri permisit, si quae post incendium aedificantur; idem viarum intervallum interesse voluit: ad ultimum quominus incolae propinquo maris visus interciperetur prohibuit.

Contra, nobilium gentium domus unam vix contignationem super viam extollebant, si imperiales aedes excipias; Caii enim Ca ligulae nova domus per latus Palatini collis septemtrionale producta septuaginta iam pedum altitudine, Viae novae subiacenti imminebat, etsi via haec vix ad sex pedes pateret: Septimii Severi autem aedes super Triumphali Via octoginta pedum altitudinem attingebant.

Altissima pariter aedifica publica erant: Solis templum ab Aureliano, post captam Palmiram urbem in Quirinali colle positum, columnis innitebatur vigintiquinque pedes altis.

Hactenus dicta ex scriptoribus excerpta sunt; ex insularum enim ruderibus quae supersunt, earum altitudinem dimetiri fas iam non fuisset. Sertorianae insulae, quam supra memoravimus, vix duo tabernarum ostia supersunt, Bononianeae contra reliquias non est nisi puteus medio in atrio effossus. Addendum vero Taciti testimonium, qui quum narrat de Vitellii fautoribus Capitolii arcem obsidentibus, quo Vespasiani milites configerant, domum tecta describit eo usque altitudinis emergentia, ut peristilium Capitolini templi Iovi Optimo Maximo sacri attingerent: ceterum ad pedem Capitolinae arcis, insulae cuiusdam rudera supersunt, unde ipsum arcis Capitolinae verticem eam adaequasse facile ar gutur.

Ut autem maiores quodammodo culpa

purgemus ob domus tantae altitudinis aedificatas, duo memoranda praesertim: primum quidem in meridionalis Europae regionibus, per adumbratas vias commodioram transitum, quam sub solis torridi effici; alterum, ne nimia latitudo urbis magis magisque diffunderetur ea aetate qua nulli erant, quos hodie adhibemus, acti vapore aut electride vehiculi, plebem urbis per medias regiones pluribus domuum contignationibus plerumque colligandam maiores cavisse.

A. C.

**EMANUELI IOVAEO**

AMICO DESIDERATISSIMO

NEFARIE IN HISPANIA INTEREMPTO<sup>1</sup>

Quis furor heu dirus permiscet pectora Iberum  
Et patrium misere quassat ubique solum!  
Qua rabie effrena exardescunt corda, et in altum  
Effertur, signum mortis, iniqua manus!  
Frater ut iratus tigris ferus impetit ipsum  
Fratrem, et fraterno terra cruore calet!  
Mater flet natos immani morte peremptos  
Combustosque tenet cruribus ipse pater!  
Clauditur, heu, caelum horrescens ipsaque te-  
[nebrae  
Attonita tanto funere mente pavent.  
Parce, Deus, sanctumque tuorum, Christe, me-  
[mento  
Et pacem misso crimine redde pius.  
Quo plausuque hominum ac musarum numine  
[faustus  
Doctorum electo maior in orbe virum  
Certavit noster studio ingenioque Iovaeus  
Praestant atque novis viribus usque valens;  
Laudandumque avidis folium dare tempore  
[alumnis  
Curabat, vigili parta labore opera.  
Qua et iuvenis viresque aususque probare Pa-  
[laestra  
Maiorumque armis ludere nobilibus.

<sup>1</sup> Cfr. ALMAE ROMAE fasc. mens. octobr. MCMXXXVI, pag. 157.

Sic Larium alma et religiosa pace colebat  
Sermonis, felix, grammaticaeque decus.  
Ast turbo patriae miseras qui corripit oras  
Abstulit et tecti limine abegit eum.

Non venerati iam pacem praestare penates  
Possunt, non superum caelica tecta domus.  
Ut fera sub montis latebras compellitur atras  
Configere et gressus condere signa miser,  
Sectatusque nimis, lucem vitare diei  
Infestam, et tenebras noctis amare nigras.  
Aufugere a recta, dubiamque gravemque peri-  
[clis  
Quaerere per valles, per nemus omne viam.  
Sicque subire domum, sic fatum arcere stude-  
[bat.

Incassum! Fallax nigruit ecce manus;  
Et matris iam iam cernentem lumina natum  
E vivis aufert ipsa sub ora patris.  
Quo, torvisque feris indigno, funere caesus  
Qui reus et Christi et fratris amoris erat,  
Arripitur, rogatur, suppliciique repertum  
Fit gladius; signum quod pietatis erat  
Afficitur probris. Christo maledicere, Sanctis  
Cogitur, et Fidei temnere signa pede.  
Nequicquam. Tumida tunc clamant voce: «Vo-  
[rabis!»

Arreptaque premunt gutturus arcta cruce,  
Dilacerantque diu. Iam dentibus, ore genisque,  
Horret defluxo sanguine; pallor obit.  
Expleta tandem rabie miserabile plumbo  
Placatur corpus, corpore vita fugit.  
Et sic humano meritum cultu atque Camoenis,  
Non fractus, Fidei serta supraea tultit.  
Solare, o patria! Infelix si luctibus horres  
Hac nati fama tempus in omne nites!

Albani ad Romam.

JOSEPHUS MATTEOCCI.

Quotidie morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitae, et tum quoque dum crescimus, vita decrescit. Infantiam amissimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam; usque ad hesternum quidquid transit temporis, perit.

SENECA.

**COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>**

XXX.

**Sese vestibus exuentes.**PAEDAGOGUS, IUSTUS, FULGENTIUS,  
DEMETRIUS.

PAEDAGOGUS. — Quorsum vos cunctamini? Detracto amictu usque ad subuculam, suo se lecto quisque commendet. Aufferte moras: ego actutum huc revertar. Quod nisi cubantes invenero!... Prohibete a vobis vim meam.

IUSTUS. — Nescio quomodo nodus geminus et arctissimus in ista ligula mihi exstitit: quaeso, adiuva me, Fulgenti.

FULGENTIUS. — Quam multis astrigmentis et quam scite hic subligar thoraci alligavit.

DEMETRIUS. — Sic oportet. Ast ego, aspice ut laborem in abstrahendis caligis.

IUS. — Quare?

DEM. — Quia ex deambulatione hodierna pedes et crura affatim sudore immaduerunt.

IUS. — Adiuvabo te.

FULG. — Mihi vero qui subibit auxilio?

IUS. — In quo tandem?

FULG. — Vellem sane alter vestrum purgaret calceos meos: oppido lutulenti sunt.

IUS. — Tute, ut reor, ad istam rem non male aptus es: sufficis; mihi quoque praeter me nullus est servus.

FULG. — Hancine gratiam refers? Phy!...

DEM. — Oh, quid tu, Fulgenti, hoc tempore et loco de diploide tua pulverem excutis? Oculos, aures, nares, faciem mihi compleas. Fac modum. An nondum etiam?

FULG. — Ubi ergo, et quando excutem?

DEM. — Foris.

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

FULG. — Non ausim foras ire sine thoro race.

DEM. — Ad fenestram procederes saltem.

FULG. — Nec ibi honestum est in indusio conspici.

DEM. — Admiremini virum religiosissimum!

IUS. — Commutemus, Demetri, cingulos. Eia, annuito.

DEM. — Tamne blanditur oculis tuis meum?

IUS. — Et quidem multo ante hunc diem.

DEM. — Quid diceret praceptor?

IUS. — Nihil prorsus; ne vereare.

DEM. — Qui periculum amat, etiam in re levi, vae, ille haud mecum sentit. Verum ego perisclides, seu fascias curiales tuas validius optaverim quam tu istam zonam meam.

IUS. — Posterius hoc dicis quam credidi. At tu, Fulgenti, in arca tam alta, tam longa, tam lata, quid habes?

FULG. — Quid hoc autem ad te attinet? Libros nonnullos philosophicos.

DEM. — Hui! philosophicos!

FULG. — Ita, philosophicos, quibus me usurum spero postquam aevi florem contigerio: aliquot indusia, femoralia bina, tibialium paria duo, interulam eleganti opere contextam, pileum sericum, et quatuor tenuissima tela, perque angulos acu picto prima nominis mei litera, sudariola. Ad haec nonnulla collaria amyrlata.

IUS. — Malo ego collaria indusiis continentia, laxa, super oram vestis parum proiecta.

FULG. — O lecticam spatiosam, per quam me volutare possum uti libet! O culcitram plumeam, pulvinar longum, cervical molliissimum, toralia candidissima, stragulam vestem splendidissimam; ut vos non diligam?

IUS. — Ideone arctius dormis ac nos? qui aestate, ut nunc, gausapinis tegimur laxis; cortinas regias aliasque tuas exoti-

cas delicias nihili pendimus. At at! Praeceptor redit: sileamus, et in lectum perniciete.

PAEDAG. — Comprimite linguas. Siccine hoc fieri? An istuc est colere vespertinum silentium? Cras pro his meritis digno vos afficiam pretio. Cur non occlusisti valvas, Iuste?

IUST. — Oblitus sum.

PAEDAG. — At plurium rerum vos obliviscimini!...

## MEDICAE NOTAE

### De signis, quae ex pulsu desumuntur.

Certiora quidem et specialiora (morborum) indicia desumimus ex pulsu, sive motu cordis, qui non solum sanguinis consistentiam et misionem secundum singulas partes nobis revelat, sed etiam de spirituum animalium vigore, vel imbecillitate, ordine vel *àtaξia*, et consequenter de tota oeconomia animali, testatur.

In eo autem peccant medici, quod in cordis motibus observandis non sat temporis impendant, sed post unum vel alterum ictum manum statim removeant, ideoque sic saepissime decipientur, putantes totam massam sanguineam cum tribus vel quatuor eius guttulis, quarum consistentiam et misionem in uno vel altero pulsu explorarunt, pari ambulare passu, quem plerumque fieri soleat, ut particulae a tergo sequentes aliter mistae, aliisque sint consistentiae. Accedit etiam hoc, quod peregrina fermenta a tubulis partium solidorum subinde exutiantur et sanguini confundantur; in quo statu sanguis tam diu bonus esse potest, donec heterogeneae illae particulae, a sanguinis prioris motu et missione abludentes, cor ingrediantur et in pulsus tum celeritate tum frequentia

notabilem inferant mutationem. Non mirandum ergo quod Sinenses in pulsibus explorandis nobis sint feliciores, utpote qui integrum fere horam huic negocio impendunt, quo tempore tota massa sanguinea cordis thalamos peragravit, unde etiam de tota massa sanguinea aequius iudicium ferre possunt.

Pulsus differentiae in eo consistunt, quod *pulsus sit vel magnus et vehemens, vel parvus et debilis*; deinde quod sit *celer vel tardus*. Tertio quod sit vel *frequens vel rarus*. Et quarto quod sit vel *aequalis vel inaequalis*, sub quo *myurum, vermiculatum, formicantem et intermittentem* comprehendimus.

*Pulsus magnus et vehemens* indicat sanguinis guttulas ita esse dispositas, ut prompte rarescant, et quod multas particulas volatiles et fermentescibiles in se contineant; hinc talis pulsus nunquam periculum portendit.

*Pulsus est parvus et debilis* quando guttulae sanguinis ad fermentationem ineptae sunt; id quod ob particularum terrestrem et crassitatem fieri potest, unde languentem vel minus potentem fermentationem et spirituum defectum, nec non humoris acido-austeri et salini-fixi abundantiam indicat.

*Pulsus celer* respicit tempus illud, quod rarefactioni impenditur, unde scire possumus an guttulae cordi illabentes prompte attenuentur, ipseque sanguis fermentescibilis fit.

*Pulsus tardus* fit ob sanguinis visciditatem, vel etiam ob spirituum inopiam; hinc vel debilis, vel magnus esse poterit: debilis, ubi vires sunt attritae et spiritus dissipati; magnus, ubi sanguis viscidus quidem, sed plures oleosas et fermentescibiles particulas adhuc in se continet.

*Pulsus frequens vel rarus* dicitur, si ad illud intervallum attendamus, quo alia guttula vel portiuncula a sanguine reffluo descripitur. Si enim partes undae instar se

invicem sequuntur, pulsus dicitur frequens, qui respectu ipsius rarefactionis in corde simul debilis, parvus et tardus esse potest. Sin vero particulae, quae cor ingredi debent, rarius a se invicem dividantur, pulsus vocatur rarus, qui tum magnus, tum parvus, tum celer, tum tardus esse potest.

*Pulsus aequalis* de aequali sanguinis consistentia perhibet testimonium; *inaequalis* autem intemperiem et turbatam fluidorum misionem indicat. Omnium pessimi sunt *myurus, vermiculans, tremulus et formicans*, quales in moribundis observantur.

*Intermittens* non semper malus est, quippe fieri potest, ut quid viscosi, vel fixi terrestris et ad fermentationem minus apti, subinde cordis ventriculos ingrediatur, quo tempore pulsus per unum vel alterum momentum intermittet; inde hypochondriaci et scorbutici talem quandoque habere solent.

WALDSCHMIDT.

## ANNALES

### Germanorum Cancellarii et Gallorum exteris negotiis Praepositi orationes.

Apud legatorum coetum legibus feren-  
dis, Hitlerus, Germaniae Cancellarius,  
orationem habuit, quae diu lateque per or-  
bem resonuit. Praedicavit enim ille a se  
subscriptionem deletam haberi declarationi  
a Germanicis legatis in Versaliensi foedere  
extortae, qua immanis postremi Europaei  
belli eventum in Germaniae ipsius caput  
recidere debere concedebatur; per hanc  
hostes conabantur ut fere ab hominibus  
Germaniam relegarent: atqui dissociari ea  
voluit nunquam, quemadmodum plura foedera  
postremis hisce annis inita usque ad  
recens pactum cum Iaponia contra « bol-  
scevistas » aperte demonstrant; vult quidem

sibi colonias restituiri, populo suo tam denso necessarias.

Nulla autem conflictatio mente concipi-  
cum Gallia potest; et si orbis pax appetatur,  
haec servanda sunt principia: interni  
ordinis apud nationes singulas firmitas;  
mutuum in populorum necessitates obsequium;  
Societatis Nationum ea conversio,  
per quam sensim forma et viribus perficiatur;  
iurum integra aequalitas; armorum  
comparatio intra certos fines definita;  
cuiusvis denique callidi coercitio artificii,  
unde turbamentum aliquod inter varias na-  
tiones manare possit.

Ei statim Delbos, rerum ad exterios Gallicus administer, monumentum militibus in bello mortuis in urbe Chateau-roux dedicans, respondit, laudandam quidem Hitleri pacificam voluntatem esse: discriminero vero non circa finem versari, sed rationes quibus consequendus is sit; verum esse inter Germanos et Gallos nullam inveniri conflictationis causam; verum in orbe haud tantum Galliam et Germaniam vivere, pacem itaque generalibus legibus subiici et ultra fines Germaniae et Galliae locatis; inter has leges obsequium recenseri in pactiones, a Germania iam et hac ipsa die violatas. Iure pariter Hitlerus affirmavit, de armis deponendis quaestionem globatim in suis partibus esse perpendicularis; hac quidem re Galliam nationum omnium conuentum fovere, quae talem habeat exitum, ut in quavis civitate belli industriae in pacis industrias sensim convertantur. Quae ad consequenda, Gallia ad compositiones ineundas inclinis est atque parata, dummodo tamen ne hae in aliorum offensionem dirigantur.

Quae postrema verba facile coniectui-  
est, Galliae cum Russorum illo flagitioso  
Conclilio, ipsorum lingua *Soviet* appellato,  
pactam societatem respicere, quam non  
una Germania, sed viri omnes aliqua hu-  
manitate praediti dirempta videre o-  
mniantur.

\*\*\*  
**Pacificae conventiones.**

Alia inter Anglos et Italos conventio dicta est, eaque de rationibus circa Italicas in Orientali Africa novas possessiones et finitimum Somaliae Britannicum territorium; atque praesertim de commerciorum viis per Aethiopiam ad Anglicos portus; quod quidem secumfert Italici illic imperii Anglicam recognitionem.

Conventio altera fausto auspicio perfecta est, qua discidium inter Turcas et Galliam de Alexandriolae regione est compositum.

In colloquio denique Mediolani habito inter Italicae Turcicaeque gentis exterritorum negotiorum administratos examini subiectae sunt res rationesque inter duos populos intercedentes, eae praesertim, quae ad Mediterranei maris orientes plagas spectant.

\*\*\*

**Hispanicum civile bellum.**

Hispanicum civile atrox bellum perdurat adhuc, «Communistis» omni vi «Nationalibus» qui dicuntur resistantibus. Itaque hi in progressionibus suis lente procedunt; sed tamen ad Malagam urbem pervenerunt, a quorum civibus tamquam liberatores accepti sunt.

Non est dubium quin ad res longius trahendas valde conferant auxilia a Russia et ipsa Gallia anarchistis illis conlata; si ergo pactum de non interventu his diebus inter varias Europae nationes initum religiose fuerit servatum, sperandum est fore ut deplorabilis huius rerum condicionis finis properet.

\*\*\*

**Novus Sabaudiae Domus Princeps.**

Die XII mens. februarii, Neapoli, novus e Sabaudia gente Princeps, a Principe Imperii herede et Iosepha regali uxore e Bel-

gica stirpe, natus est, diu ab Italibus expectatus, qui ovantes et gratulantes ei eiusque parentibus fausta omnia a Deo ex animo sumus adprecati et adprecamur.

POPPLICOLA.

\*\*\*\*\*  
**Libera a Pittaciis Responsa**

Cl. v. Io. ROG..., *Novariae*. — De scripto, quod misisti, dabo tibi litteras vix deficiens tempus permiserit.

Cl. v. FR. PAL..., *Trebic*. — De iis, quae per communem amicum M. nobis obtulisti, plurimas Tibi gratias habemus et referimus; laetitia gestientes quod ita antiquum nostrorum animorum commercium sit renovatum. ALMAM ROMAM in obsequium benigno vultu accipias.

Rev. v. AI. REICH....., *Marienburg*. — Recensiones operum, quae non accepimus, non edimus. Mittas alia, et libenter vulgabimus.

\*\*\*\*\*  
**AENIGMATA**

I

Saepe meo gemitum fundis sub pondere labens.  
Praefice sigma mihi! Me bibis aure tuâ.

II

Te compellabo recte, si te urget egestas.  
Praefice sigma mihi! Spes mihi messis inest.

III

Insula sum maris Aegei, de marmore candens.  
Sigmate frons aucta est? Cernitur hasta tibi.

F. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *C-ursus*; 2) *Cordolium*.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.  
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

# REGULUS

| 14

**ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN**

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Pu. Eius dirae voces memet in nihilum redigerent.  
Va. Illae essent durae atque immeritae; hoc ne dole;  
Deus illas a tuo capite avertet. — Pu. Agendum fuat.

SCENA IV.

METELLUS, CAEPIO, PUBLIUS, REGULUS, MANLIUS,  
VALERIUS, SENATORES.

ME. Senatus ergo consedet, res est decreta. Caepio,  
Credo, istuc descripsi? — CAE. Descripsi. — ME. Prospice,  
Ut illud in aere decretum sculpatur posteris.

Pu. Non decretum, sed tantum senatus auctoritas.  
Ego Publius tribunus voto. De hac re populus rogabitur.  
Iam convoca sis comitia, ubi populus existumet.

Meam conscribe reclamationem, Caepio.

RE. Ne scribas, Caepio! noli, tribune, scribere!  
Si vis tribunus adpellarier, revoca sententiam.

Nonne istuc facis? Ne tam pusillus sis, ostende te  
Romanum. Num manu vires patriae infirmabis improba?

Ego ut te novi, nunquam ad hoc poteris adducier.  
Sed astas mutus atque verba patris neglegis.

Num te magis Karthaginensibus oderim?  
Nam isti vitam perdunt, tu vero honestatem destruis.

Vin ergo, fili, meus interfector existere?

Pu. Nunquam. — RE. Retracta verba sis, dumst spatium, tua.

VA. Titubare videris. Video tuam matrem luctarier

Cum desperatione. — RE. Tacesne, Publi? Huc adspice, lacrumas  
Fundens rogo te. Numquid agis, Publi? me respice.

Pu. Vae mihi! — VA. Esto vir. — ME. Diuturnane res erit?

Pu. O dii! — MA. Tuos tibi pater examinabitur.

VA. Nemo sepeliet patris tui cadaver tabidum.

Pu. Eho iam! — ME. Ad rem, tribune. — PU. Scribe, Caepio: Voto,

RE. Non es mihi tu filius, sed patriae iam proditor.

ME. Istuc hercle fecit, quod munus suom licet.

Quamquam factum Publi non laudo, amor patris tamen

Excusat illum. Nemo eum violare vel male dicere

Audeat. Hodie ipso die habebuntur comitia;

Si quid populus iusserit, ibi adprobabitur.

Itaque quom officio satis fecerimus, patres ilicet.